

DE  
C A V S S I S  
OBSTRVCTIONIS ALVINAЕ

I N D V L T V  
GRATIOSI ORDINIS MEDICI  
P R A E S I D E

D. CHRISTIANO GOTTLIEB  
L V D W I G

THERAPIAE PROF. PVBL. ORD. FACVLT. MED. DECANO  
ACADEM. DECEMVIRO COLLEGIORVM MAI. PRINCIP.  
ET BEAT. MAR. VIRG. COLLEGA ACADEM. REG.  
BORVSS. SCIENT. ET SOCIET. BOTAN. FLORENT.  
SODALI SOCIETATIS TEVTONICAE  
LIPSIENSIS SENIORE

PRO GRADV DOCTORIS  
DISPV TABIT  
CHRISTIANVS FRIDERICVS ERDMANN  
B O D E N

SCHLIEBENA-SAXO.  
MEDICINAE BACCALAVREVS

---

D. XII. OCTOBRIS A. O. R. MDCCCLXX.

---

L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEMIA

DE  
S I C C U M  
T H E A T R U M  
A T A V I  
C O M P A N Y  
D I D T  
C H R I S T I A N Q U E H E  
D A V I D  
S O G R A V D A G O R S



§. I.



In functionibus corporis humani viui diuidi.  
Institutio.  
candis, non solum ad sanas, iusto ordine  
procedentes, et mōrbosas, labefactatas vel  
prorsus abolitas, sigillatim respicimus, sed  
vtramque etiam earum indolem accurate in-  
ter se comparamus. In hoc autem scrutinio recte instituen-  
do, ad varias vias, in quibus successiva humorum elabora-  
tio fit, attendimus. Ac primum quidem ad mutationes  
alimentorum, quae in ore, ventriculo et tubo intestinali, vt  
pote in primis viis, enenunt, respicimus, et progressum  
chylī ad sanguinem subiungimus; ad secundas autem vias  
attenti, sanguinem, a corde per arterias et venas motum  
et in variis organis secretoriis, in primis renibus et cutaneo  
habitu, depuratum, consideramus, his enim aliisque secre-  
tionibus recte succendentibus, optima pars humorum ad vias  
lymphae dicitur, quas tertias appellare possemus, propter

A B

ea,

ea, quod non tantum nutritionis vis in glutine animali, sed etiam promptior secretio fluidi neruei inde pendet. Etsi autem omnium harum functionum continuus nexus in sanitate et morbo cernitur, interdum tamen vnam et alteram sigillatim definire conuenit, quo morborum ratio melius intelligatur. Cum autem fabrica partium, quae ad digesti-  
nem pertinent, et liquores, in canali alimentorum affluentes, in caussis et effectibus facilius, quam aliae magis abstrusae functiones perspici videantur, multi quidem sibi persuadent, medicum in his declarandis vix errare, adeoque etiam cu-  
rationem morborum, in primis viis obuenientium, sine magna difficultate suscipere posse: at summa et in his re-  
quiritur attentio, si applicatio remediorum et auxiliorum cum fructu effici debeat. Iam olim, cum in dissertatione quadam academica de primarum viarum debilitate agerem,\*) perspexeram vitia primarum viarum indagatu esse difficili-  
ma, et quamquam postea, variis obseruationibus institutis, et praestantissimis medicorum monitis perpensis, hanc do-  
ctrinae medicae partem iterum iterumque ac saepius disqui-  
sueram, tamen in tristissima rerum facie, quam morbus et mors amatae coniugis mihi obtulerat, cognoscebam, ob-  
structionem aluinam, crebrius accidentem et pertinacem tandem factam, a me nullo modo solui posse, quamuis consilio amicorum adiutus, praestantissima auxilia applicauerim. Serio saepe cogitauimus de caussis huius obstructionis, re-  
media, ei opponenda, semel iterumque penitus auimus, caute applicauimus, omnia tamen incassum tentata fuisse, mors declarabat, et labes in sectione cadaueris reperta. Hanc morbi historiam, plenius descriptam, aduersariis medico practicis inferui,\*\* per hanc vero opportunitatem operae  
premium

\*) Prodiit Lipsiae 1748. 4.

\*\*) Vol. I. Part. III. p. 407 seqq. Lips. 1770. 8.

preium duxi, ea, quae ex ordine doctrinarum medicarum, ad obstructionis aluinæ caussas pertinent, ex pathologicis principiis repetere et ex obseruatis anatomico physiologicis illustrare, quo et mihi et doctrinae nostræ alumnis normam praescriberem, ad quam in vitiis primarum viarum, in quantum praecipue ad obstructionem pertinacem vergunt, iudicium nostrum dirigeremus. Etsi enim hac ex caussa non semper acuti et inflammatorii morbi, qui aegros subito rapiant, oriuntur, dolores tamen et spasmi eos creibius et vehementer excruciant, qui negligentia vel impedimentis huius excretionis initia aliorum grauissimorum morborum, in primis et secundis viis euolutorum, sibi inducunt.

## §. II.

Cauſſa proxima obſtructionis aluinæ commode poſſit dici impeditus alimentorum digestorum et exſuccorum transitus ad excretionem conſuetam. Cum autem hac deſtinatione morbus ipſe, vel ſymptoma primarium, in multis morbis obueniens, deſignetur, huius cauſſa proxima erit depravata quaedam diſpoſitio canalis totius vel partis eiusdem, per quem conſuetus fecum aluinuarum progreſſus ad anum cohibetur. Qua quidem diſterentia poſita, cauſſae, a nobis diſquirendae, in duas claſſes diſtribuendae ſunt, quarum aliae vniuersalem quandam labem, canali alimentorum inductam, aliae mutationem quandam morbosam, parti tan- tum huius canalis inhaerentem, indicant. Vtraeque raro ſubito oriuntur, ſed ſaeppe per ſeriem cauſſarum occaſionalium ſubinde naſcuntur, et diſpoſitiones, easque ſaepen- mero habituales, inferunt, quibus cauſſae praediſponentes definiuntur. Quamquam vero victus ratio ſaeppe diuerſiſſima eſt, nec ſemper reliquo vitae generi reſpondet, atque

*cauſſae ob-  
ſtructionis  
aluinæ in  
vniuersum  
conſiderantur.*

canalis alimentorum fabrica in ventriculo et variis intestinorum tenuium et crassorum partibus valde differt, liquores denique, vbique secreti et in ysum digestionis affluentes, varium ortum et diuersam mixtionem habent, ideoque haec cuncta peculiarem disquisitionem exigere videntur, nostro tamen consilio accommodata magis videtur tractatio, si haec in vniuersum, adspersis tamen vbique particularibus annotationibus, perpendantur. Sic enim compendium disquisitionis causialis in obstructione aluina efficimus, ita tamen, vt, qui vniuersalem normam sequitur, facile ad particulares caussas, in singulis aegris obuenientes, dirigi queat. Vixit diuersitas in alimentis et potulentis negligi nequit, quamquam illa, dummodo vitae generi respondeat, rarissime nocet, actiones autem, digestionem iuuantes et ex vita ratione pendentes, simul examinanda sunt. Singulare autem examen exigit liquorum, digestioni inseruentium, indoles ac sana morbosaque mutatio. Nunc cum motus peristalticus contenta in canali alimentorum vrgeat et propellat, praemissis caussis occasionalibus, ad dispositionem, quae aluinam excretionem laedit, proprius accedimus, si motus elastici virtus in rigiditate et laxitate, et porro motum vitalem laesum in debilitate et spasmis tubi intestinalis perpendimus. Hoc certe examine cognoscitur habitualis quaedam in multis hominibus ad alui segnitiem procliuitas, quae et sanis caeteroquin visis, molesta est, et in morbis aliis haud raro, vt symptoma vrgens, considerari meretur. Pertinacissima demum alui obstructio, quae, vt morbus singularis et principis, attentionem nostram poscit, ad tria potissimum capita referri poterit. Etenim cauſa vel in tubi intestinalis cauo haeret, et veram obstructionem seu *εμφραξιν* efficit; vel canalis in parietibus suis et in ipsis tunicarum intersticiis ita laeditur, vt a diametro sua naturali recedat, nec fibris mo-  
uen-

uentibus amplius dirigatur ideoque angustias partiales et saepe interpositam extensionem nimiam admittat, quae, quod a priori penderet, angustiam siue στενωχωρίαν tantum di-  
judicandam relinquit. Tandem vero partes intestinorum a caussis externis varie comprimuntur, et impedimentum viae per compressionem externam seu θλιψίαν efficiunt. Dis-  
quisitionem caussarum obstructionis alvinae ad hanc nor-  
man optimè institui posse, eo confidentius credimus, quo magis signorum anamnesticorum, diagnosticorum et pro-  
gnosticorum ratio simul patet, et, nisi latentia, nec vlo mo-  
do remouenda, fabricae vitia adsint, medendi methodus et  
iam apte definiri posse videtur.

## §. III.

Sanus et validus ferme cuncta, quae appetit, alimen- *Vicius ratio.*  
ta bene fert, nec delectum adeo cibi et potus instituere te-  
netur. Sunt tamen aliqua ciborum genera, quae difficilius  
subigantur, et ex quibus moles indigesta, viscida et acris col-  
ligatur; sunt et potulenta, quae vires canalis intestinalis  
maxime infringant, et in utroque casu obstructionibus tan-  
dem ansam præbeant. Quoniam vero nostra tractatio tan-  
tum summaria est, in uniuersum monemus, nos præcipuas  
tantum tradere posse caussas occasioales, ex quibus nostra  
aliorumque medicorum experientia, obstructions alvinas  
haud raro ortas esse, comprobauit. Ordinem tamen eum  
seruabimus, ad quem reliquae et a nobis neglectae caussae  
commode addi possunt.

Ex vegetabilibus cerealia semina et inde præparata  
optimum et facile subigendum nutrimentum præbent, quo-  
rum panis est princeps. Satis tamen compertum est, ni-  
miam eius siccitatem, quod largiorem affluxum salivæ ac  
liquoris gastrici et intestinalis exigit, lentorem excretionis  
alui-

*in cibis.*

aluinae inducere. Ob hanc caussam imbecilles saepe panem biscoctum, optime solubilem, ferre nequeunt. Semina leguminosa et olera plurima, quod viscidio abundant et flatus generant, nec satis subigi, nec apte subduci possunt. Fructus horaei et ex indole sua austeri, magis vero immaturi, tubo intestinali siccitatem inferunt, et saepe, ut nuclei viscidio oleosi, in partibus intestinalibus non digesti, subsistunt. Carnium quidem digestio facilior est, viscidiae vero, in primis fumo induratae, cutis et intestina, nec non extremitates animalium, porro ex piscibus ii, qui tenaciores fibras habent, praecipue si frigore et fumo indurantur, digestioni, ideoque etiam aluinae excretioni resistunt. Lac et dulcia, ut lubricantia ventrem mouent, sunt tamen imbecilles, intestina variis de caussis relaxantes, qui hoc ipso viectu lacteo aluum, vel saepe inordinatam, vel interdum obstructam habeant. Quemadmodum enim lac coctum ob caseosae partis coagulum imbecillos magis obstruit, in primis si cum farinaceis coniungitur, sic nimius casei usus hoc magis efficere potest. Etsi vero aromatica condimenta viscidis cibis iungenda sunt, nimius tamen aromatum calidorum usus, quoniam siccitatem inducit, obstructiones quoque generat. Sed, in caussis his perscrutandis, non semper ad qualitatem ciborum tantum, sed et ad modum eos sumendi respiciendum est; constat enim, qui aude et sine masticatione deglutiunt, vel sine ordine edant et tempora vietus sumendi non accurate distribuant, eos digestionem turbare, ideoque etiam aluinam excretionem minus ordinatam habere et obstructionis subinde inducendae caussam afferre.

*in potu.*

Potus cibos captos diluit et simul ad digestionem disponit; sunt autem varia quoque potus vitia, ex quibus obstructio aluina nascatur. Et vel potus aquosus ingurgitatio

tio, vbi nimia fuerit, non solum ventriculum replet et distendit, sed et intestina relaxat, praeterea a vasis lacteis cito sugitur, hinc nec scybala dura emollit, nec canalem intestinorum lubricat. Maior noxa existit ex potu aquoso nimis frigido, incalescente in primis corpore, ingurgitato, ex quo spasmi intestinales et remora fecum aluinorum certo inducitur. Calidus potus, quamquam alia ratione agit, quoque nocet. Neque enim semper adstringentibus theae particulis, nec empyreumaticis coffeeae stimulis effectus obstructionis aluinae, interdum ex potus huius nimio usu eueniens, adscribendus est, sed calidus vapor solus, relaxando fibras intestinales, crebram obstructionis caussam ex languore motus peristaltici infert. Vinoſa potulentorum genera, ut cereuifiae et vina aliaque, fermentationis ope producta, ex indole particularum, medicata vi praeditarum, diuidicanda sunt. Sic enim vina rubra laxa intestina roborant, et ita alui excretionem expeditiorem reddunt; ſicca autem et rigida intestina magis obſtruunt, hinc effectus non, niſi in relatione ad ſubiecta varia, affumi et ex therapiæ generalis fundamentis diiudicari poſſunt. Spirituofus autem concentratus potus et in primis eius abusus, ob exſiccationem fibrarum et coagula fluidorum, inter principes cauſas obstructionis aluinae referri eoque magis vituperari debet, ſi, aromaticis aliisque ſtimulantibus particulis admixtis, hos effectus magis auget. Quemadmodum vero in qualitate et copia potus varias cauſas obstructionis aluinae deteximus, ſic in defectu eius potiores inueniuntur; plures certe aegri nos, in examine cauſalarum instituendo, ad hanc praecipue cauſam attentos reddere ſolent.

## §. IV.

Vitae genus non ſolum viētus rationem, ſed reliquas *Vitae genas.* quoque corporis actiones dirigit, hinc in eo quoque exami-

nando quodammodo versemur. Ardua vero res est, amplissimam tractationem, qualem hoc argumentum exigit, succincta praecipuarum caussarum enumeratione in arctiores limites cogere: quoniam autem vita sedentaria plures aegros, et praecipue, qui literas colunt, et feminas, huic vitae generi assuetas, ad alii segnitiem disponit, de ea et coniunctis virtutibus nonnulla commemorare conuenit. Artuum mictus, circulationem humorum per extremitates corporis iuuans, non vnicum commodum est, quod moderata ambulatio et intensior interdum corporis exercitatio efficit, sed coniuncta potius thoracis et abdominalis agitatio et blanda viscerum concussio maiora omnino praestat. Respirationem, in aere libero et sano excitatam, egregium sanitatis auxilium esse, nemo non concedit, cum autem porro diaphragmatis et muscularum abdominalium actio in iuuando motu peristaltico magnum emolumentum afferat et motus progressivus alimentorum a fabrica musculari intestinorum praecipue, quamquam non vnicce, pendeat, quoniam is concussionibus et frictionibus abdominalibus vere intenditur, progressus contentorum in canali alimentorum per nimiam quietem corporis maximopere retardatur et infringitur. Accidit insuper in vita sedentaria tum, cum in laboribus subeundis erectum corporis et inde etiam abdominalis liberum situm non seruare, sed potius, corpore antrosum inclinato, viscera abdominalis comprimere solemus, maius impedimentum motus peristaltici, dum id, quod mouendum est, sint scybalia viscida, tenacia et dura, sit aer elasticus retentus et virgens, partem intestini ad spasmos disponat, vicina anteecedente parte aere nimis distenta, quam rem inferius inter viaria intestinalia habitualia recensebimus. Cum hac autem corporis dispositione, in iis, qui literarum studiis delectantur, meditatio profunda, in aliis vero, qui animum grata idea-

idearum euolutione non pascere possunt, moeror et tristitia, ingratus aliquis obiectorum sensus accedit, quae quidem cuncta, vt internos sensus viuide excitant et agitant, sic vires elasticas et vitales, vniuersum corpus dirigentes, maxime infringunt. Videmus profecto, diu quiescentes et contenta cogitatione excitatos, magis saepe languidos esse, quam eos, qui vehementissima corporis exercitia sustinuerunt. Quemadmodum autem in sensuum externorum vegeta actione sensationes corporeae maxime infringuntur, sic etiam frequenter negligentia stimuli, depositionem aluinam vrgentis, accedit, quae motum progressiuum in intestinis vniuersis valde refrenat. Similis attentio ad somnum dirigenda est, cuius commoda per refectionem virium vniuersam in omnes corporis actiones redundant. Languet sane omnis, qui crebrioribus et saepe continuis vigiliis detinetur, et refectionem nullam ex somno placido percipit, ita, vt ex hac caufa alui quoque segnities saepe deriuanda videatur. Ii vero, qui diutius dormiunt, vires, iusto somni studio acquisitas, iterum suppressunt et simili ratione delassati inueniuntur, nec ordinatae excretionis aluinæ commoda sentiunt. Ita namque vitae generis, in vniuersum considerati, ratio ad hanc normam examinari et multae aliae cauſſae, quae, vel simili, vel contraria ratione ad alui segnitem disponunt, ex his diiudicari poterunt. Ea enim, quae de excretis ac retentis et animi affectibus, si tractationis huius argumentum speſtes, addi possent, ex iis, quae hucusque proposuimus, abunde intelliguntur: sic sudor nimius, qui tenuissimos corporis humores subducit, feces aluinæ siccas relinquit: sic iracundia, bilem commonens, saepe diarrhoeas, in denegato vero faburrae acriis effluxu, spasmos, et retentiones molestas mera eriae iam motae efficit: sic nimium venoris exercitium, vt vires in vniuersum infringit, ita etiam

hanc excretionem interdum languidam reddit. Possent praeterea huic tractationi variae caussae, in morbis opificum obseruatae, subiungi, sed satis est, eas tantum nominasse, ii enim, qui plumbum tractant, ad colicas saturninas et inde saepius ad pertinacissimas alui obstructiones disponuntur.

## §. V.

*Liquorum di-  
gerentium vi-  
tia.*

Ab his, summatim propositis, ad vitia fibrosae compagis, in intestinis consideranda, deduci possemus; verum nos accuratius hoc in genere versari existimamus, si antea humorum, digestioni inseruientium, et fecum aluinorum propulsionem ad crassa intestina, vt vniuersalem corporis cloacam, adiuuantum, examen suscipiamus, et in eo praecipue in caussas impeditae excretionis aluinæ inquiramus.

*Saliua.*

Affluxus saliuæ ex tot glandulis, circa fauces positis, copiosus et inter masticandum potissimum acceleratus, satis euincit, hoc menstruum in cibis viscidis emolliendis et resoluendis primarium esse, ideoque sequentes digestionis functiones ita iuuare, vt ultimam tubi alimentaris actionem, excretionem nempe aluinam, expeditiorem reddat. Monnendi igitur sunt, qui crebrius hauriendo fumo tabaci vel herbae huius et aromaticorum medicamentorum masticatione saliuam prolixiunt et exspuunt. Maxime vero digestio- nis vitia et alui segnitiem sibi inducunt, qui alimenta, potissimum dura et viscida, non masticata, sed integra, immodi- ca edendi cupiditate impulsi, deglutiunt. Lugendus ideo etiam est eorum status, qui, dentibus carie adesis, vel ginguis scorbutica labe affectis, pluribusque dentibus variis de caussis amissis, masticationem et saliuæ admixtionem aegre absoluunt. Quamquam enim liquores, in reliquo canali in- testinorum affuentes, saliuæ defectum aliquo modo resar- cire videntur, nusquam tamen, quam in ore, veram admixtio- nem

nem liquoris, cibos soluentis, fieri posse, fabrica partium docet.

Liquoris gastrici et intestinalis affluxus in hominibus *Liquor gastricus et intestinalis.* succipennis aliquo modo iuuat digestionem, cum vero in macilenta minus copiose afferatur, siccitati etiam aluinae ansam suppeditat. Etsi vero humorum, ex superficie canalis alimentorum exsudantium, indoles non nisi cum perspiratione viscerum comparari posse videatur, tamen ex fabrica tunicae villosae largior eius prouentus, et maior vis, saponacea resoluens, euincitur. Hinc falluntur, qui crebriori in primis aquae potu damnum, ex defectu liquoris gastrici et intestinalis emergens, tollere cupiunt, quod aqua simplex non bene admiscetur, sed celeri itinere ad sanguinem et renes promouet, ita, ut nimiae aquae potatores ad continuam haud raro alui segnitiem disponantur.

Quemadmodum autem in duodeno praecipue digestionis vis cernitur, quod cibi masticati et in ventriculo macerati, bilis, per pancreaticum liquorem, qui saliuialis naturae est, temperatae efficacia, subiguntur, et ad ulteriores in canali intestinali subeundas mutationes disponuntur; sic in bile potissimum stimulum naturalem ad alui depositiōnem inuenimus. Mittimus lubenter descriptiones commodorum, quae in digestionis negotio a bile, ut liquore praeflantissimo soluente, accedunt, et stimulum eius in motu peristaltico iuuando tantum consideremus. Sanguis ex visceribus abdominalibus, digestioni et chylificationi inferuentibus, in systemate venae portae refluis, et per indolem suam ad optimae bilis secretionem aptus, in varia viscerum abdominalium labe, ad hanc secretionem praestandam minus bene mixtus est. Non solum enim tenuis nimis sanguis, sed et spissus nimis, piceus et atrabilarius, tum, cum hepatis viscus etiam liberum est, bilem aut inertem aquo-

Bilis.

sam, aut yiscidam et nimirū tenacem fecernit, ex quibus causis feces vel non satis resoluuntur, sed densae et tenaces manent, vel ad caiculosam quasi duritiem disponuntur. Vittum igitur lentoris aluini, quem in ictericis semper animaduertimus, ob denegatam bilis secretionem, in iis quoque, qui imbecilles, hypochondriaci vel alia viscerum abdominalium labe affecti sunt, simili modo cognoscitur. Et quamquam noui feminam, quae feces aluinias albas et siccas, canino stercori similes, cum aliqua difficultate, ceterum ordinate, excernit, tamen haec rarer obseruatio efficaciam bilis in promouendis aluinis fecibus in dubitationem adducere nequit. Liquoris intestinalis, pancreatici et bilis vis, in duodeno incepta, in jejuno potissimum intestino efficaciam suam exserit, atque etiam ex aliqua parte in ileo; in crassis autem magis compinguntur feces, quae mutationes ad alui segnitionem omnino disposerent, nisi mucus intestinalis excretionem rursus iuuaret.

*Mucus.*

In ore quidem et toto tubo alimentari mucus ex glandulis folliculosis variae fabricae secernitur, sed eius efficacia in lubricandis et promouendis fecibus aluinis nuspam magis, quam in ileo et crassis intestinis cernitur. In vniuersum quidem mucus talis intestinalis acrimoniam, alimentis adhaerentem, vel morbosam in intestinis natam, vel ad ea deriuatam, temperat et corrigit. In duodeno potissimum intestino, ubi bilis cibis semidigestis iungenda est, mucus hic copiosius secernitur, nec in jejuno intestino, vt pote molli et villosa tunica euidentiori instructo, deficit; copiosior tamen deprehenditur in ileo, in quo feces densantur ac non nihil exsiccantur; et, quia in coeco maxima eius necessitas est, etiam appendix vermiformis, ad secretionem muciapisim, huic parti intestini appositus est. Et licet nec in coli integro tractu glandulae folliculosae, mucum secernentes,

tes, deficiant, maior tamen eorum in intestino recto; prae-  
cipue ad ani exitum, copia obseruatur. Duplex quidem  
vitium huic muco adhaeret, tenuitas nimia et acrimonia,  
eadem iuncta, quae varios et morbosos saepe fluxus ventris,  
in primis lienteriam, inducit; contrarium autem huic vitium  
tenacitas est, quae in hoc argumento nostro in primis debet  
considerari. Si enim viscidum ex cibis, non satis subactis,  
nimium colligitur, et exsiccatur, orificia glandularum folli-  
culosarum ita obstruuntur, ut viscidum naturale, in iis se-  
cretum et suo tempore exprimendum, nimis insipissetur, ex  
qua re alui siccitas et remora fecum et tum obseruatur, cum  
muci abundantia percipitur. Quando autem feces aluinæ  
cum copioso muco per draistica purgantia expelluntur, sic-  
citas alia oritur; satis enim apertum est, validas purgatio-  
nes aluum obstructam excipere, propterea, quod glandulae  
folliculosae, tenuioribus humoribus expulsis, non blandum  
et lubricantem, sed tenacissimum mucum excernunt. In  
dysenteriis mucosis et similibus, quae nonnullis haemor-  
rhoides mucosae vocantur, lenta et acris saepe pituita ex-  
cernitur, quae depositionem aluinam plus impedit, quam  
iuuat. Nonnunquam in his morbis vidimus particulas  
muci, instar gummi tragacanthæ, non solutas, sed tantum  
emollitas, quas inter digitos vix comprimere et diu quoque  
in aqua maceratas, soluere haud potui. Male itaque sibi  
consilunt, qui, alui segnitie oborta, purgantibus iisque va-  
lide stimulantibus medicamentis aluum mouere contendunt,  
nec blanda naturae auxilia in diaetae vitiis correctis eligunt,  
inde enim et mucum nimis abstergunt, et eius vteriorem  
excretionem difficilem reddunt.

## §. VI.

Ex iis, quae hactenus proposuimus, non solum caussæ *Rigiditas et  
occisionales*, sed etiam variae dispositiones ad siccitatem,  
*laxitas intesti-  
norum.*  
aliaque

aliaque intestinorum vitia, quibus caussae obstructionis sensim inferuntur, satis cognouimus. Quo autem mutationes in fabrica intestinorum laesa melius perspiciamus, morbosa ratio fibrarum intestinalium accuratius perscrutanda est. Priusquam igitur stricturas spasticas et debilitatem, ut motus vitalis vitia, examini subiiciamus, consideremus primum rigiditatem et laxitatem, roboris elastici vitia.

*Rigiditas.*

Neque enim superficies intestinalis interna tantum, interdum siccitate obrigescit, sed et contextus cellularis fibras musculosas excipiens, ubi est siccior factus, rigiditatis muscularium fibrarum caussa est. Carneae hae fibrae peculiae fabrica cellulari constant, in qua arteriae, venae et nervi mire distribuuntur, ipsae tamen in alio molliori contextu cellulari haerent, qui sub externa et membranacea tunica expanditur; ex qua re vera facilitas motus attingitur. Quod si itaque cibus et potus irritandi et exsiccandi vim habent, quam etiam in progressu per intestina retinent, a purgationibus simili ratione molestis, a siccitate scybalorum cum aliqua remora procedentium, fibrae ad validiores contractiones disponuntur, his ipsis humores, interstitiis inhaerentes, et expelluntur et coguntur, ex quibus caussis fibrae a naturali mollitie in densitatem et callositatem transeunt. Saepe itaque in anatomica disquisitione intestinalis, nulla vestigia fibrarum carnearum, strias potius tantum albantes, per cellulas densas circulari vel semicirculari ductu excurrentes, conspicimus, quae in viuo statu non blande, sed cum aliquo renisu se contrahunt, et ita motum peristalticum retardant. Caussas occasioales in viectus ratione §. III. summatim indicauimus, nonnulla tamen de medicamentis hic addere, a re non alienum putamus. Videntur quidem aloetica medicamenta hanc noxam praecipue inducere, aloe enim, etsi lota et gummosa eligitur, magnam tamen resinae copiam adhae-

ren-

rentem habet, quae siccatur: multo autem magis hoc dannum inducit, si resinosa magis, non satis depurata, aloë eligitur et, vel medicamentis purgantibus copiosius vel resoluentibus sic dictis elixiriis, continuata serie adhibendis, parcus admiscetur. Resinosa certe omnia medicamenta i alapina et alia hoc vitium inferunt, ut aluum saepe vehementer commoueant, postea per plures dies obstructam relinquant et habitualem saepe siccitatem et rigiditatem intestinis imprimant. Rhabarbarum quoque, quod laxioribus corporibus, infantibus in primis, saepe vtile est, nimio usu, in primis in siccioribus hominibus, similem dispositionem efficit.

Quemadmodum vero hac ratione motus peristalticus difficultor redditur et languet, sic idem quoque quamquam contrario modo in nimia laxitate retardatur et obstructionis aluinae caussa est. Quod si enim ea, quae de varia viectus ratione, de lacticiniis et aliis emollientibus cibis, de potu calido §. III. indicauimus, in memoriam reuocamus, non tantum contextum cellulosum intestinalorum, tunicis interpositum; sed et fibras musculosas ipsas fero so humorum affluxu relaxari, cognoscimus. Namque mucus intestinalis, de quo, ut caussa expeditae excretionis aluinae ob lubricandi vim §. V. commemorauimus, pariter pro caussa remorae habendus erat. Neque enim solum viscidum, ex glandulis folliculosis secretum, spissius iusto deprehenditur, sed glutinosum adscititum ex cibis viscidis nimis emollientibus intestinalorum parietibus adhaeret et totum eorundem habitum relaxat. Facilis affluxus intestinalis succi, qui aliquam in digestione vim habet, impeditur ac contextus cellulosus copia seri turget. Etsi vero hoc incommodum purgantia valida resinosa ad tempus tollunt, tamen subinde contrarium vitium, ut supra admonuimus, inducunt. Manna, tam-

Laxitas.

rindi, cassia et alia lubricantia, purgantia quidem minus vehementia sunt, sed cum stimulo suo ad materiam viscidam mouendam non semper sufficient, eamque haud raro magis resoluant, quam subducant, laxitatem augent. Etsi vero salina purgantia, in quibus summa vis resoluendi est, in viscido intestinali mouendo efficaciora videntur, cebriori tamen vsu nocent et serosum laticem nimis alliciendo, primo relaxationem et, continuato vsu expulsaque seri copia, siccitatem relinquunt. Ex his vero omnibus maius insuper et relaxationem souens vitium, flatulentia inducit, propterea, quod ex pituita resoluta aer elasticus copiose egreditur, intestina distendit et inde motu peristalticum irregularem et varie cohibitum efficit, qua de caussa alius primum inordinata, paulo post vehementer obstructa redditur, nec non irregulares tubi intestinalis expansiones et contractions efficiuntur.

### §. VII.

*Spasimus et  
debilitas inter-  
stiorum.*

Rigiditatem et laxitatem fibrarum, vitia motus elasticorum, a nisu, vel aucto nimis, vel imminuto glutinis, animalem fibram firmantis, pendere, cum fabrica corporis universalis, tum nutritio partium docet. Diuersa quidem haec vitia, per priores fibrae proprietates tamen maxime definita, ad spasimi et debilitatis examen nos ducunt, quia utrumque vitium et in fibra rigida et laxa se exercitat. Vis vitalis et motus, in diuersis machinae animalis partibus inde excitatus, universalis est et a fluidi neruei indole proficiscitur. Etsi vero in huius fluidi dispositione sana et morbosus definienda haud exiguae oriuntur difficultates, varia tamen in homine viuo obseruata phaenomena, nos ad aliquam cognitionem huius universalis motus principii ducunt et varias functionum mutationes luculenter declarant.

Quod

Quod si enim irritationes, fibris illatas, consideremus, *Spasmus.* vias tantum feriunt, hoc est, eas, quas fluidi neruei vis penetrat, in callosis enim et quasi mortuis haec vis stimuli non sentitur. In sana itaque fibra a moderatis potissimum irritationibus blanda contractio et remissio sese inuicem excipiunt, quem motum oscillatorium appellare placet, quippe qui non tantum in fibra musculari euidenter, sed in reliquis quoque partibus, ad muscularem fabricam non prorsus accedentibus, remissius quodammodo percipitur. Motus fibrae muscularis maxime compositus est et singulares arteriae, venae et nerui mutationes, quas accurate describere non possumus, efficit, quae tamen quodammodo apparent, si motus rationem sanam et in morbis impeditam in fibris his compositis attendimus. Nam si tum stimulus paulo fortior applicetur, fibra rigida, et ad contractionem blandam non adeo idonea, tamen vrgetur et se contrahit, atque in hoc motu non facile remittit, sed in contractione potius diu persistit, ideoque rigiditatem porro auget. Quod si porro similis stimulus laxam fibram tangit, tunc, vbi moderatus est, laxitatem corrigit, quod superfluam humiditatem, causam laxitatis ex intersticiis eius exprimit; Sin vehementior stimulus irruit, fluidum in cellulis sive intersticiis fibrae intercipitur, cogitur et densatur, ex qua re non correctio laxitatis, sed callositas potius expectanda est, quae, et si a vera rigiditate, cum siccitate coniuncta, differre videatur, eandem tamen noxam, puta humorum immeabilitatem, infert. Quamquam igitur fibra rigida ad stricturam spastica magis disposita est, tamen et laxa, si subinde callosior redditur, in eandem dispositionem abit. Spastica autem haec strictura in intestinis, quamvis parcioribus fibris muscularibus donatis, tamen attendenda est. Flumen alimentorum digestorum et porro digerendorum, partes tubi integrinalis

stinalis successiue distendit et vis musculosa et tendinosa, distensioni tandem resistens, contenta porro vrget. Alternum enim fibrarum distinctarum longitudinalium et circulairum motum nunquam statuendum censeo, quoniam omnes fibrae in coarctando canali per alimenta distenta simul operantur, in primis cum longitudinales longe parciores sint, quam circulares et semicirculares. Quod si vero distensio ultra modum facta est, tunc vel maiorem vim contractilem fibrae incitat, qua ea sensim languet et ad motum continuandum minus apta redditur, vel cellularis contextus circumfusus, pariter atque in cellulis teneroribus fibrae muscularis reperiundus, occallescit et mobilitatem elasticae fibrae non amplius admittit. In tali itaque parte intestini fit obscuratus habitus et blandus motus muscularis et oscillatorius non amplius locum habet, sed peristalticus motus, ad has partes deductus, non nisi spasmis dirigitur, quibus contenta intestinalium magis retinentur, quam promouentur.

**Debilis.**

Sed videamus etiam de debilitate, ut causa praedisponeante obstructionis aluinae eamque in universum et ratione intestinalium expendamus. In imbecillis certe vis universa neruorum, ideoque etiam fluidi neruei indoles a naturali vigore multum differt, quam rem in hominibus, ceteroquin sanis, subitanea delassatio post validas corporis exercitaciones vel animi perturbationes satis, evidentius tamen subita prostratio in morbis acutis malignis declarat, quippe quae in robustis eodem modo, quo in imbecillis obseruantur. Quemadmodum igitur reliquae corporis actiones languent, ita motus intestinalium vegetus esse nequit. Quod si vero universus canalis alimentorum digestionem languide perficit, aliud etiam tarda et saepe obstructa inde pendet. Neque tamen est dubium, quin particulares debilitates in intestinalibus

finis quoque orientur. Etenim cum non tantum vigor sensuum in variis organis sigillatim imminuatur, sed et plexus brachialis vnius lateris, vel ex consuetudine vel morbo laesus, motus partiales illius lateris debiliores efficiat, quam alterius, necesse est, ut multo magis sistema neruosum, in plexibus abdominalibus potissimum conspicuum, motum viscerum in actionibus digestionis saepius modo languidum reddat. Videbis enim haud paucos, qui, et si animo et sensibus internis valeant, atque motus artuum etiamnum sustinere possint, tamen de vigore vitali in intestinis conquantur. Sunt quidem plures aliae huius rei caussae, quas in occasionalibus indicauimus, attamen quoque certum est, in multis, in primis hypochondriacis, languorem digestionis et aluum tardam inter prima symptomata referri, manifesto indicio, languidas intestinalium partes ab indole depravata neruorum vel fluidi, in iis moti, mutatas esse. Iam si perpendimus, in visceribus imi ventris singulares et maxime sympathicos neruos esse, eosque in plexibus et gangliis coniungi et iterum distribui, recte etiam concludimus, debilitatem in his magis, quam in aliis partibus posse induci. Quanquam enim in his validi motus musculares, ut in artibus sustinendi non sunt, sed in viscerum functionibus motus plerumque blande procedunt, caussae tamen, vires suppressentes, facilitiori consensu ad omnes partes deriuantur et inertiam quasi totius tubi intestinalis inferunt. Debilitas autem saepe stimulis moderatis non urgetur et licet vehementioribus tandem vinci posse videatur, inde tamen tam insignem noxam intestinalis infert, ut depresso virium, nullis auxilis postea leuanda, subsequatur. Observauit in quodam aegro, debilitate motuum animalium et sensuum quoque internorum diu conspicuo, actiones vitales satis vegetas, et digestionem quoque ciborum et alias naturales

commodissime cessisse, languore autem vniuersali magis aucto, canalem alimentorum adeo esse debilitatum, ut stimulis purgantium medicamentorum et clysmatum admodum raro obediret.

§. VIII.

*Transitus ad  
obstructiones  
olui pertina-  
ces.*

Ex iis autem, quae hactenus exposuimus, caussae occasionales et praedisponentes, quibus aliud tarda, saepius obstructa, non nisi auxiliis artis mouenda et ita obstructio habitualis inducitur, satis intelliguntur. Sunt enim inter nos tres haud pauci, qui de aliud, per aliquot dies obstructa, non adeo solliciti sint, consuetudinis vitium esse existimantes, cui vel a prima aetate adsueta sunt, vel quod a vitae genere, in primis sedentaria, alienum esse nequit. Et veres ita se haber. Namque plures ad summam senectutem perueniunt, incommoda ex obstructione aliud patienter ferunt et tandem eandem vtcunque vel diaeteticis, vel pharmaceuticis remedii aut leuant, aut vrgent. Ex hac vero habituali dispositione in morbis variis acutis aequa, ac chronicis multa incommoda oriri, medentes satis experiuntur, qui, dum symptomata morbosa perpendunt, et recte diudicant, saepe cognoscunt, non esse symptomata morbi principis, sed symptomata symptomatis, hoc est, consuetae obstructionis aliud. Quam rem si exemplis declarare susciperem, nouum omnino dissertationis argumentum ingrederer, obstructionem aliudnam, communissimum morborum acutorum et chronicorum symptoma, explicaturus. Placet autem praeter alia, quae mihi de proposito hoc argumento explicanda restant, de pertinacioribus potissimum intestinorum obstructionibus, difficulter et saepenumero prorsus non leuandis, differere. Istae quidem possunt, ut morbi vere habituales, considerari et, si caussas species, ad tria genera redigi, ita, ut ad primum referatur

feratur obstructio interna caui siue tubi intestinalis; ad secundum obstructio ex angustatione viae, ob fabricam canalis mutatam; ad tertium denique compressio externa partis eiusdem intestinorum.

## §. IX.

Incipiamus ab obstructione canalis siue corporibus peregrinis, in tubo intestinali haerentibus. Res satis nota est, in crassis, i nprimis in coeco, vt initio crassorum, et sacco laterali semper feces duras colligi, quas saepe sensus pondoris in regione iliaca dextra et in inguine vicino satis prodit, praesertim si, quod interdum percepimus, duries, ad cristam ilei ossis exsurgens, animaduertitur. Cum vero coecum etiam in statu naturali saepe ultra modum extendatur et recte quidem cauum laterale, nequaquam vero tubus continuatus, dici possit, insignis saepe collectio scybalorum, obstructionem inducentium, fieret, nisi ex ileo semper tenuis materia afflueret, quae duras coeci feces emolliret, obice remoto, sursum versus colon duceret et postea per zone varios gyros ulterius ad rectum promoueret. In colo ipso a duris fecibus nunquam obstructions orirentur, has enim cauernae laterales suscipiunt, tribus stratis ligamentosis distinctae et munitae, ita, vt in media via semper scybalia lubrica procedant. Etenim haud raro accidit, vt, abstergente laxante, intestina tenuia eluantur et liquida multa per colon medium transeant et expellantur, verum post aliquot demum dies et via media libera facta, durae feces, coeco et colo diu inhaerentes, soluantur, promoueantur et inter vehementes saepe colicos dolores virgeantur ita, vt vix tibi persuadeas, tantam vim scybalorum induratorum in amplissimo hoc intestino recondi et ibi saepius per annos quiescere posse. Cum autem haec vitia semper ferme ex retardata per depravatam constitutinem excretione aluina

*Obstruc*tionis* in-  
testini.  
erassi.*

orian-

orientur et saepius clysinata, quae ab initio optimum leuamen afferunt, negligantur, malum tandem ita augetur, ut pondus magis premendo, quam acris materia stimulo, molestia sit, quippe qui in calloso et nimis extenso intestino vix percipitur. Atque haec cum ita se habeant, nec purgantibus medicamentis ab una, nec clysmatibus et suppositoriis ab altera parte succurri potest, sed inflammationis metus oboritur. Habuimus tamen exempla, vbi etiam in summa obstructione inflamatio et alia huic affinia mala vix metuenda essent, nam intestina in statu quodam inertiae posita erant. In homine diuturna alui obstructione, cum imi ventris summa tensione coniuncta, variis auxiliis frustra tentatis, chirurgus fecerit nimis duram in intestino recto haerentem, spatula removit viamque apertam reddidit. Sic in alio simili ferme aegro frustulum ligneum pennae anserinae crassitie tres pollices longum per totum tubum intestinalem sine noxa transiit, in intestino recto ita haesit, ut causa pertinacis obstructionis aluinae esset, quae, non nisi chirurgi opera, letuari potuit.

*tenuis.*

Verum itaque est, quod obstructiones in crassis intestinis rarius exitiosae et magis molestae sint, cum in tenuibus contra crebrius obstructio haud leuanda subsequatur. In his quidem corpora maiora, digestione non solnenda, v. c. nuclei persicorum, interdum ad pylorum, interdum in loco duodenii, quo in ieiunum procedit, vel in alia parte ieiuni aut ilei intestini haerent et muco et materia spissa seculenta circumcirca congesta, molestas tensiones efficiunt. Inde vero vix umquam alia incommoda, quam dolores colici oriuntur, quod affluxus humorum partes ita relaxat, ut saepe celeriter non tantum per tenuia intestina, sed etiam per angustiam in nexu ilei cum crassis et porro per totum intestinorum tractum dueantur. Similiter etiam calen-

bi-

biliarii, qui ad insignem magnitudinem increuerunt, sub vehementissimis cruciatibus tamen per ductum cholodochum detruduntur, et postea quoque in intestinis vix haerent. Nec minus obseruatores medici crescentis calculi in ipsis intestinis exempla referunt, cuius mole tandem via intestini tenuis prorsus paeclusa est. In ileo raro sex dura haeret, sed muco intestinali illita promouetur, interdum tamen accidit, ut nucleus durus materiae stercoreae, vel aliud corpus peregrinum, casu degluritum, in aliqua parte ilei subsistat, quae, cum saepe flatibus distenta sit, materiam fluidam praeterlabantem admittit, parti haerenti crustas terreas, muco compactas, inducit, et quasi calculum format. Durissima talia corpora per vim spasticam intestinorum interdum in vicina eorum et angusta loca deferuntur et ita figuntur, ut amplius protrudi nequeant. Motus itaque peristalticus in illo loco subsistit, pars intestini contracti inflatur, ideoque materia digerenda et feculenta ad ieunum et duodenum regreditur vomituque reicitur; motus enim peristalticus, tum temporis inuersus, hanc aliter atque consueta ratione versus inferiora progrediens, excurrit. Talem calculum feminae, quae his incommodis vexata, tandem misere perierat, ex ultimis conuolutionibus ilei in dextro latere excidimus. Idem etiam in puerò vidimus, in quo intestini pars extensa copiosum viscidum mucum, tanquam nidum vermium, continebat; in hoc tamen, cum intestina laxiora essent pars antecedens, inuaginatione quadam supra partem extensam renoluta, inueniebatur, ex qua caussa motus retrogradus et paulo post ipsa mors subsequuta est.

## §. X.

Sed nunc ipsa fabrica intestinorum consideranda et angustia ex tunicarum mutatione declaranda est. Videlur au-

*Angustatio  
intestini.*

D tem

tem haec tractatio in duas potissimum partes posse diuidi, in quarum prima contextus cellulosus induratus, siue obstru<sup>c</sup>io intestinorum habitualis, in altera vero obstructae et mole austae glandulae folliculosae, quae verum scirrhum, tandem in carcinoma mutandum, referunt, attenduntur. Ea, quae de fabrica intestinorum vniuersa ab Ill. W A L T H E R O et aliis prolata sunt, in dissertatione de debilitate intestinorum breuiter tradidimus, hic denuo non repe-  
tenda.

*A contextu  
celluloso oc-  
callecenter.*

Praecipue vero contextus cellulosus laxior et pulposus, qui inter musculosam et villosam tunicam in peculiarem membranam vasculo<sup>n</sup> nerveam cogitur, in quo quidem non solum vasa et nervi singulari ratione distribuuntur, sed inde ad villos et glandulas internae tunicae villosae ducuntur, attentionem nostram exigit. Huius tunicae fabrica cellulosa tenera est, et cellulae magis lymphatico, quam pingui humore replentur, pulposior in iunioribus et bene nutritis, siccior in macilentis et iis, qui obstructione habituali et flatulenta saepe anguntur. In morboſo ſtatu cogitur nonnunquam lymphaticus humor et ita inspiffatur, vt crassior sensim fiat tunica, sed densa ſimul et callosa. Hanc ſtatiſin diſcutere annititur contractio tunicae musculofae, quae in peculiari quodam contextu celluloso ſub membrana communi haeret, et neruo<sup>m</sup> vasculo<sup>n</sup> ambit; ſed cum resiſtentia nimia ſit, densata iam tunica neruo<sup>m</sup> vasculo<sup>n</sup> ita conſtrigatur, vt intestini cauum vix diametrum aliquot linearum monſtret, ipsa musculofa prorsus diſpareat, et pars anguſtata non niſi vnicam tunicam morboſam refeſat. Haec intestinorum anguſtia, in crassis potius, quam in tenuibus intestinis deprehenditur ita, vt zona coli, praecipue a finiſtra parte, ad vlnam ſemis et amplius contraſta et densa inveniatur. Quamquam vero alii ſegnitiem, flatuſ, tensiones et borbo-

borborygmos in his aegris saepe obseruauit, eum tamen obicem ad obstructionem, quae mortis caussa haberetur, non inueni, et si haec ex aliis caussis subsequuta est, in cadaueris sectione miratus sum, cur non maiora vitae incommoda ex huius fabricae mutatione oborta essent. Evidem, inflammationem non tam facile incendi, inde intellexi, quod vehementissimi spasmi non eueniunt, sed callosa obstructio sensim et in densatis ipsis cellulis oritur, itemque ex eo, quod feces aliquando mollescunt et vrgentur, inprimis si partibus morbosum quaedam fanae interpositae sint, quae aliquo modo contrahuntur. Alia et longe difficultior est labes, cum aliqua tantum et saepe breuior pars intestini, contextus cellulosi habitu obfirmato, affecta est, antecedenti et subsequenti vehementer distenta, quod eo magis molestum est, cum has partes flatus et scybala copiosius repleant, ex qua caussa saepe violenti dolores colici excitantur. Si talis dispositio in quibusdam partibus tractus coli est, duri saepe tumores in abdomen tactu percipiuntur, qui interdum, ut duri nodi, sine dolore sunt, interdum magis distenduntur et elasticitatem referunt, interdum, flatibus excussis, scybalis excretis spasmodique consopitis, fere euanescent, nec tactu amplius inueniuntur, alio tamen tempore iterum revertuntur. Si, quod tamen rarius fit, hae angustationes in tenuibus percipiuntur, difficultior est aegri status propterea, quod motus peristalticus tunc magis vrget, quam in crassis, et dolores a spasmis viuidiores reddit. In coli nempe fabrica labes, quam modo descripsimus, crebrius inducitur, cum crassities tunicarum et inaequalis, ob cauernas laterales, diameter inueniatur, frictiones ideo abdominales et alia auxilia, quae aeream expansionem nonnihil coercent, morbum leuant et symptomata minus grauia reddunt. Distensiones intestinorum quoque non vniuersum abdomen occupant, vt

in tympanitide vniuersali, sed tantum hanc vel illam partem, et in vno loco discussae, in alio postea sentiuntur, ibique denuo dissipantur. Dummodo igitur caussae, quae obstructionem tubi intestinalis efficiunt, euitentur, et feces non nimium siccescant, partiales hae angustationes diu feruntur, vt in pluribus ex nostris aegris cognouimus, sed, vbi plures caussae accesserint, angustiae crebriores fiunt, et tandem ita molestae, vt colici dolores intolerabiles, saepe redeuntes, percipientur, et homines sub diris symptomatis ad mortem disponantur \*).

*Induratio  
glandularum  
folliculosarum.*

Est et alia angustiae intestinorum species, quae canalem ipsum afficiat, videlicet induratio glandularum. Hoc vitium et si ex vniuersalibus causis pendet, particulare tamen est, et in intestino recto crebrius, saepe ad flexum coli sinistrum inferiorem, interdum paulo altius, in reliquo et dextro etiam zonae coli tractu, fortasse etiam, sed admodum raro, in tenuibus conspicitur. Nos certe, qui prioris generis exempla saepe vidimus, nullum in tenuibus obseruimus. In hominibus, ad scirrhosas glandularum obstrunctiones in vniuersum dispositis, glandulae folliculosae intestinorum vel sparsae, vel coaceruatae non tantum in cauo suo, sed paulo post etiam in vasis, cauum cingentibus, obstruuntur. Exiguae enim hae glandulae, quasi depressae, in sanis vix conspiciuntur, nisi intestina inuersa, in fluido suspensa, intuearis; in morbo autem statu sensim eleuantur, indurescunt,

\*) Dissectiones cadaverum miras saepe intestinorum mutationes demonstrant, nos vero, qui plura hic ostendere non possumus, ad III. DE HAEN tractationes de colica pictonum prouocemus. Vid. Ratio medendi cet. Part. III. cap. 2. et Part. X. cap. 1. vbi simul icones coli, per partes contracti, adduntur.

residunt, una obstructa alteram tendit et premit, similemque obstructionem efficit, ita ut saepe in una intestini parte plures non ad pistum modo, sed ad ciceris saepe magnitudinem accedant et pyramidis truncatae speciem referant, quae in summitate orificium satis amplum habet. Durae tunc sunt glandulae et renitentes, ex orificio mucus viscidus, sed copiosus effluit, qui haemorrhoides mucosas, ex laxitate oriundas, mentitur. Si pars intestini, tali labe affecta, in abdomine, ut tumor fluctuans, percipitur, dolor exiguus vel nullus est, si vero scirrhous, hucusque indolens, mouetur, dolor pungens et adeo saepe molestus excitatur, ut transitum in verum carcinoma prodat. Tristis haec mutatio eo evidentius cognoscitur, si sanies copiosa cum alio liquida et paulo post ichorosa, foetida, rodens effluit, et alii obstrunctiones interea pertinaciores redduntur, scybalia enim parua, globosa et exsucca excernuntur, et cum motu peristaltico non amplius promoueantur, interdum clysmatibus, interdum acris saniei stimulo, valide urgentur et tenesmi atrocis caussae sunt. Si vitium in intestino recto haeret, et reliquus canalis hac labe nondum affectus est, feces etiam moliores, tenues saepe, per angustiam viae variae figuratae, exprimuntur. Accidit interdum, ut intestini pars, glandulis his scirrhosis affecta, versus peritonaeum fortius urgeatur, et in loco illo tumorem offerat, qui vehementer dolet et tandem in inflammationem tendit. Hoc potissimum in femina quinquaginta trium annorum obseruauimus, cui medicus ad leniendum dolorem cataplasmatu[m] emollientia crebrius applicauerat, eaque postea, cum abscessum in latere sinistro versus cristam ilei moueri perspexisset, strenue continuauerat. Quamquam autem fluctuatio subesse videbatur, ideoque incisio per integumenta tentabatur, parum tamen puris sanguinolenti et saniosi excrenebatur, quoniam incisio su-

perficialis tumorem latentem non tangebat. Aegra vero, diris doloribus semper ferme excrucianti, tabe demum consumpta, periiit. Aperto abdomine, tumor pugni magnitudinem superans, ad peritonaeum non adhaerens, in tota intestini parte sub initium flexus coli sinistri inferioris reperiatur, qui, incisus, insignem copiam glandularum mole austarum et carcinomaticarum offerebat.

## §. XI.

*Compresso  
canalis ali-  
mentorum ex-  
ternus.*

Supereft, vt compressionem externam consideremus, quae in libere fluctuantibus intestinis nunquam locum habet. Quamquam enim interdum tumores sat magni in abdome crescunt, vt in hydrope saccato et aliis ovariorum morbis, ii tamen eodem modo, atque moles extensi vteri grauidi, magnam partem abdominalis occupans, hoc cauum extendunt, intestina ad latera premunt, nec raro etiam obstructionis aluinae caufa sunt, quod sub vario corporis situ tubus intestinalis aliquam tamen vim motus peristaltici exercere potest. Hoc tamen non perpetuum est. Quemadmodum enim grauidus vterus ob tensionem abdominalis saepe tarditatem aluinae excretionis efficit, ita etiam similes morbos tumores hoc incommodum afferunt, hoc autem blandis abdominalis frictionibus interdum mitigatur, vel crebriorem clysmatum usum postulat. Alia vero ratio est, vbi una vel altera pars tubi intestinalis valide comprimitur. Hoc quidem in multis herniarum speciebus euenire, in confessu est. Quoniam autem haec tractatio peculiare herniarum examen non admittit, paucis tantum exponemus, quomodo hernias, intestina comprimentes, considerare oporteat. Quod si igitur vel, in omni imo ventris ambitu, vel ad umbilicum, vel praecipue ad inguina, vbi chorda vasorum spermaticorum, vel paulo altius, vbi vasa in femur descendunt, pars quae-

quaedam intestini in saccum peritonaei, morboſe diſtentum, vrgetur, vel in vulnus abdominalē cogitur et ita intercep- tum comprimitur, tunc de ampliando vulnere et de reponendis intestinis iisque ad liberam fluctuationem in abdo- mine reducendis, cogitandum, idque ad praecepta chirur- gicae artis, hac de re tradita, efficiendum est. Constat au- tem vſu rerum et experientia quotidiana confirmat, intesti- num in ſacco hernioſo ſatis ampio motum peristalticum nonnunquam libere exercere poſſe, dummodo ab interna intestinorum parte ex fecibus vel flatibus accumulatis nullus obex ponatur. Neque nobis inauditum eſt, interdum non totum tubum, ſed eius tantum lateralem partem in hernias potiſſimum inguinales et crurales introduci idque dupli ratione fieri: Vel enim aliqua pars diſtenta et in ſaccum preſſa, liberum adhuc progreſſum fecum admittit, ita quidem, vt ſtati a fecibus durioribus et ſpasmus inducta, pars preſſa tantum inflammetur et abſcedat, poſteaque intestini laeti labia ad margines vulneris agglutinentur, orificio ani praeternaturali ad abdomen relicto, aut quod melius eſt, vulnere ſub attenta chirurgi cura a latere coalescente, firmaque cicatrice clauſo; vel interdum intestinum in proceſſum aliquem, intestino coeco ſimilem, extenditur, qui etiam in abdomen repreſſus, cauum ſuum ſaepe auget et multa ſcybala recipit, eaque denuo in tubum intestinalem expellit, qua- rum rationem alio loco, iconibus nonnullis explicatam tra- didimus \*). Quod ſi nunc in his cauſſae tarditatis aluinae et ſpasmus ſaepe indicatae arceantur, diu ſine magno incommodo viuere poſſunt eiusmodi ae- gri, inprimis ſi pars relicta verſus abdominalis cauitatem etiam quodammodo extendatur; vbi vero tensiones et sta- fes

\*) Vid. *Aduers. Med. Pract. Vol. I. Pars II. pag. 363. seqq.*

ses crebriores sunt, tunc saepius obstructio, nullo modo referanda, oritur, compressio violenta laterum progressum fecum aluinarum impedit, et incommoda inflammationis et ilei morbi, ceu obstructionis pertinacissimae creat. Sed antequam hunc locum finiam, vnicum lubet exemplum retentionis secum a compressione externa proponere. Omenti pars, interdum cum vel sine intestino in saccum herniosum descendens, intestina constringit, quod vitium in herniotomia caute corrigendum est. Simili tamen ratione in interna abdominis cauitate partes omenti ad peritonaeum accrescunt, et aliquam tubi intestinalis partem intercipiunt, eamque inuoluendo quasi stringunt, ita, vt nec fluctuatio intestinalium vniuersa, nec motus peristalticus recte procedere queat. Hoc clandestinum vitium saepe operatio herniae vel diligentissime administrata resoluere nequit, alius potius constipata saepe manet et tandem cauſa mortis existit. \*)

## §. XII.

*Complicata  
intestinorum  
vicia.*

Plures adhuc compressionis species, ex susceptione, invaginatione, inuersione et aliis intestinalium viciis obortae, recensendae essent; reuera tamen in his omnibus complicatus est morbi status, cum non vna, sed plures cauſae, in antecedentibus tractationibus excusiae, concurrant. Nimium etiam excreuifset dissertatio nostra, si in his et iam commemoratis cauſis obſeruationes variorum Auctorum colligere, easque, vt exempla obſtructionis aluinae pertinacioris, in medium proferre vellemus, vnicam tamen obſeruationem, superiori anno cum amicis institutam, breuiter indicare ſufficiat. Puella, sanis parentibus nata, per primum vitae ſemestre

\*) vid. Aduerſ. Med. Pract. Vol. I. Part. II. p. 348. ſeqq.

mestre egregie nutriebatur, vnicum tamen obseruabatur incommodum, quod in depositione alui non solum, sed aliis etiam temporibus per interualla crebrius inspiraret, quasi aluum cum nisu quodam deponeret. Cum aluus vel ordinate responderet, vel etiam lenioribus medicamentis facile moueretur, peruersam infantis consuetudinem, tempore corrigendam, credebamus. Sed accidit subitanea nec ullo modo reseranda obstructio, sub qua nisu hos vehementius repetebat puerilla septimestris, et tandem sanguinem sincerum, cum muco remixtum, excernebat. Cum nullum remedium huius morbi inueniri potuisset, obiit post aliquot dies puerilla, ratione aetatis egregiis viribus instructa, et corpusculum bene nutritum sectioni exponebatur. Abdomine aperto, a latere sinistro inferiori intestinum crassum totum, in se contractum, sex circiter pollicum longitudine apparebat, et tota zona coli non perspiciebatur, sed eius loco finis intestini ilei a dextris sinistrorum zonae instar coli productus cernebatur. Contracto et ita breuius facto intestino, postea successiue euoluto, perspeximus, subinde per plicas totum colon in se rediisse, ipso coeco non relicto, et longitudinem totius coli nunc euoluti, vnam et aliquot pollices superasse. Quamquam vero non satis disquirere poteramus, vtrum coecum primum in colon, quod coecum in infantibus exiguum est, transierit, et hoc in cauum coli vicinum impresso, successiue reliquas partes traxerit, an potius intestini coli pars et subinde reliquae usque ad coecum, tales inuaginacionem subierint; hoc tamen vidimus, et inuagationem cauum medium imminuendo, atque prorsus tollendo, causam huius morbi fuisse et intestinum per emphraxin cauum obturasse et habitum intestini callosum et crassum euafisse, inde tamen nondum plenariam obstructionem aluinam subsequitam fuisse, usque dum compressione valida in vicinia

intestini sani excretio sanguinis perciperetur et tenera puella paulo post exspiraret. Relatum quoque accepimus, anno superiori in virgine quadam, intestinum coecum, cum appendice vermiciformi paucis ante mortem diebus ex ano propendens et semiputridum, fuisse separatum, cognouiimus etiam ex ipsa morbi relatione et icone nobiscum communicata, similem, sed maiorem inuagationem totius intestini crassi subsequutam fuisse, sed, cum et descriptionem et delineationem minus accuratam reperiremus, hanc rem sub finem dissertationis nostrae breuiter tantum indicare, nec accuratius declarare potuimus.



PERILLVSTRI

A C

GENEROSSISSIMO DOMINO

DOMINO

MAVRITIO FRIDERICO

E GENTE VIRTVTIBVS NOBILITATA

M I L K A V I A

DYNASTAE IN LEBVSAM KRIEBSTEINIVM ETC.

SERENISSIMI DVCIS WVRTEMBERGICI

CVBICVLI COMITI

HORATIVS Epistol. L. I. ep. 3. v. 29.

*Nos patriae volumus, nos nobis, viuere tui.*



**N**eque festinanter nimium de *morte* pronuncian-  
dum, neque maturius *sepeliendos* esse mortuos,  
qua de re, leges ecclesiasticae praecipiunt, alio-  
iamtum exposui tempore. \*) Ipsorum tamen  
etiam *demortuorum* post habenda neutiquam est  
cura; huius videlicet officii, humanitati quam  
maxime conuenientis, moratiores omnium seculorum gentes,  
admodum fuerunt tenaces, quantaque ipsis, mortuorum quo-  
que fuerit reuerentia, luculentissimis declarauerunt documentis.  
Magnam nempe fuisse mortuorum atque sepulcrorum apud ve-  
teres religionem, et cuiuis, antiquitatis tam sacrae quam pro-  
fanae gnaro, notissimum est, et, quae copiosius hanc in rem  
commentatus est frater meus, hic repetere non est opus. \*\*)  
Etiam si enim, superstitionis perquam multa, in mortuorum  
cultu, passim sint vestigia, quanto tamen in honore, defuncto-  
rum quoque habita fuerint corpora, et quam religiose de mor-  
tuis existimandum esse voluerint, his ipsis innotescit factis.  
Non enim, vna cum vita, et fama et memoria periisse credenda

A 2

est;

\*) In V. prolusionibus, *designis mortis*, non solute explorandis.  
1765. 1766. 1767. editis.

\*\*) GEORG. CHRISTOPH. PLAZ, in Dissertatione, *de religione*  
*sepulcrorum*, Lips. 1725. habita.

est; societatis licet vinculo soluto, officii tamen atque pietatis, aut etiam decori saltem, haud quaquam sublata esse debet obligatio. Ne barbarae quidem gentes, crudelitatem in maxima ponentes laude, mortuos suos dehonorari patiuntur aut violari, sicutque ipsis omni tempore sacer aliquis, in sepulcra et demortuos reverentiae sensus, publicae quoque pompaे splendore, atque variarum caerimoniarum feralium apparatu proditus. In hoc splendore, si quae natio, romana certe, et enituit, et ipsis graecos, luxus et voluptatum magistros, multis modis superauit, non, ut ludorum, spectaculorum, conuiuiorum funebrium sola maiestate celebraretur, \*) verum etiam, ut publica honoris, quo mortuos quoque dignos iudicabat, proderet testimonia. \*\*) Neque nostris temporibus, in funeribus curandis et exornandis omnem exoleuisse fastum, multis haud opus est comprobare argumentis, ipsa experientia hanc veritatem affatim loquente. In hoc autem splendore, qui ridiculam satis in *viviis* testatur vanitatem, *mortalium* etiam ponere curam, magis adhuc est ridiculum. Quid quaeso externo cultu, exsequiis magnificis, suspiriis prosaicis et prosodicis, lacrymis ad tumulos fusis, commendationibus defunctorum, non sine autorum et prelorum sudore natis efficietur? quibus saepe, quam extollere nonnulli cupiunt, amicorum, patronorum, aut praceptorum laudem, atque aeternitati dare student memoriam, aut magis obscurant, aut suspectam certe reddunt. Nihil mortui elegantes istos gemitus, chartaceasque naenias curant;

sive

\*) De his conferatur **VALER. MAXIM.** Libr. XI. cap. 4.

\*\*) Praecipuos, quibus funera deducebantur ritus, **CICERO** in *Orat: pro Milone*, cap. 37. indicat. De studio Troianorum circa iusta Miseni, **VIRGILIVS** exponit, *Aeneid.* Libr. VI. v. 212. sequ. De areis sepulcrorum, **CICERO** *Philipp.* IX. c. 7. et de fertis corollisque, quibus exornabantur, **MINVCIUS FELIX**, cap. XII. n. 6. habet.

sive enim reges, sive inopes fuerint coloni, nullis certe queri-  
moniis melior ipsorum reddetur conditio, aut famae perennitas  
stabilietur, nisi factorum suorum rectitudine, alienae laudis  
haud indigente, perpetuam sibi parauerint memoriam. Ho-  
nores equidem mortuis praestare, decoro conuenit, sed in hoc  
officio excedere, ineptum est. Alia tamen ratione, mortuorum  
nihilo fecius habendam esse curam, plus vna subesse videtur  
causa, ad reipublicae in primis in columnitatem et salubritatis sta-  
tum pertinen's. Etiam si enim *civilis societatis* vinculum, morte  
tollatur, id nihilo minus efficiendum est, ut ne, cum *humanitatis*  
non sublata sint officia, physica quaedam exinde ad ciuitatem  
propagentur mala. Haec vero cura, non magistratum tan-  
tum videtur comprehensa esse officio, quin potius medicorum  
quam maxime erit, hac quoque de parte, publicae sanitati pro-  
videre. *Totus* videlicet homo, ad medicos pertinet; et viuis,  
et sanis, et physicis et moralibus morbis affectus, et mortuus  
quoque, imperio, consiliis, et curae medicorum subiectus est.  
Neque, quod medicis cum cadaueribus quandoque est com-  
mercium, ipsorum videbitur, aduersari dignitati. Illorum et  
enim non curanda sunt contumeliosa conuicia, qui, nescio quo  
ridiculo capti praeiudicio, quaslibet potius, post mortem etiam,  
iniurias ferre, quam medicorum manibus tradi malunt, anato-  
micisque sectionibus, quas lanienae instar habent, corpora de-  
mortuorum de honestari, et sibi, et aliis, nimium stulte credulis  
persuadent, innumerorum, ex cadauerum lustrationibus, ad  
republicam atque vniuersum humanum genus redundantium  
commodorum, tam priuatorum, quam publicorum, prorsus  
ignari. Non igitur adeo arctis limitibus circumscripta esse po-  
terit medicorum sollertia, vt priuatae solummodo nonnullorum  
sanitatis gerant curam, vt familiis saltem, a quibus annua sua,  
satis etiam quandoque macra accipiunt sostra, insertuant; maior  
potius medentium in eo ponenda est laus, si quidem, quicquid

pluribus, et vniuersae ciuitati damnosum esse poterat, attente  
indagare studeant, atque, si quid aduersus publicae salubritatis  
et magistratum instituta peccatum fuerit, vltro et cordate in-  
dicare, vtque emendetur, serio monere haud vereantur. Non  
enim semper ii, qui publicae necessitati, ministeriis suis op-  
tulantur, sui ita semper memores sunt officii, quin quandoque,  
aut lucelli cupidine lacestti, aut potandi consuetudine abrepti,  
aut sola incuria et desidia perdit, quae sibi demandata sunt mu-  
nera, solutius expediant, neque et tanta magistratum semper  
est, nec esse potest vigilantia, qua quotidie, quicquid perperam  
in republica peragitur, disquirere liceat; aliorum igitur est,  
vt, quae forte minus recte suscipi deprehenderint, liberrime  
significant. Optimo ea propter in cultioribus ciuitatibus in-  
stituto, publicae sanitatis constituti sunt curatores, physici nem-  
pe vibici siue poliatri, quorum certe non in eo tantum positum  
esse videtur officium, vt occisorum cadavera lustrent, de in-  
fanticidiis iudicia ferant, aut, si qui epidemicci dominantur mor-  
bi, eorundem causas amoliri, et vlterioribus incrementis mo-  
dum ponere laborent; quin potius, si quid, siue in priuatis ae-  
dibus, siue publice committatur, quod monitione aut animad-  
uersione videatur dignum, fideliter nuncient, atque magistra-  
tum autoritatem, si quidein opus fuerit, implorent. An enim  
forte, in priuatorum sanitatem, nullum magistratibus erit  
ius aut postestas? an, si ipsorum haud pareatur cohortationi-  
bus, aut seuerioribus etiam mandatis, nulla erit immorigeros  
coercendi libertas? Quodsi census et tributa iusta a quolibet  
exigendi est potestas, ad quae colligenda, durioribus saepe  
haud parcitur praesidiis, quidni, quae totam rempublicam in  
discrimen dare poterant priuatae causae, grauissimis quoque  
supprimendae erunt auxiliis? Cognitio igitur istarum rerum,  
ad medicos vtique pertinebit, consiliis autem, ab ipsis pro-  
positis, quibus errores, aut vitia quoque, nimium damno-

sa futura, emendarī debent, pondus addere, eademque exsequi, publicae rei curatoribus conueniet, quorum interest, vt ciues non tranquillitatis tantum inconcussae, atque immunitatum suarum fruantur beneficio, atque facultatum suarum saluam tutamque possessionem, prouisoribus suis gratam habeant, sed vt libertatis bonorumque suorum, commoda, omnisque metus expers sit fruitio, a causis morbosis, temere inductis, haud quaquam conturbanda. Exiguae quandoque, nulliusque forte momenti, nonnullae videntur esse causae, quae tamen, et sua dolosa irreperi ratione, et frequentia sua, tristissimis saepe effectibus prouocandis, nimum omnino aptae deprehenduntur. Has inter, haud minima certe, negligentior mortuorum mihi videtur esse cura, ipsa re paulo curatius considerata, maxima utique attentione digna. Huius partem sibi medici, partem vero magistratus, merito vendicant. Nemo equidem est medicorum, quin ex physicis et physiologicis sciat theorematibus, quid mors sit, cum ne imperitorum quidem sit quispiam, quin, si modo animae corporisque solutum dixerit commercium, rem de tristis huius ultimique fati habere videatur ideam. Sed de ipsa mortis veritate, indubitatis pronunciare argumentis, paulo difficultioris negotii rem esse, nemo dubitabit, quandoquidem adeo frequentia eorum fuerunt exempla, qui non pro mortuis solum habitu, tamen resuscitati, quinimmo sepulti etiam, reuiuixisse deprehensi fuerunt; in cuius adeoque explorationis modo, maxima cum circumspectione versandum esse medico, et artis et prudentiae regulae imperant. Est adeoque primum proprium, quod mortuis debetur officium, ad publicam et priuatam quoque, et familiarem haud raro rem pertinens, vt non ex vulgi, aut adstantium imperitorum iudicio, certissima de morte fera tur sententia, sed medici potius iudicium audiatur, qui exploratis omnibus mortis signis, vere mortuum hominem esse, cognoscat, et pronunciet, si que vel minimum superfuerit dubitum,

nihil

## VIII

nihil suscipi patitur, quod, cum nondum mortuus homo fuerit, ipsi mortem conciliare, aut, cum plane forte ad se redierit, festinantis decernenti medico probrosum esse queat. Non enim pallor, rigiditas, frigus extreborum, respirationis defecus, similiaque signa, sigillatim potissimum considerata, consummatam confirmant mortem, neque errabit medicus, si quidem aliquantis per expectando, famae suae consuluerit, quam si quid statuerit, quod aliter euenisse, non sine pudore intelligit. Sola propemodum *putredinis* incuntis signa, manifestissimum sunt mortis indicium, ex maculis liquidis facile petendum, \*) indeque, qui *spiritum* reddidisse creditur, non statim *vitam* perdidisse existimandus est, vt pote quae, quamdiu adest, etiam si debillima, nunquam corruptioni *putredinosae* opportunitatem largitur, vt quidem eorum constat exemplis, qui per aliquot dies sub aquis submersi, dummodo vixerint, nullam perpessi fuerunt corruptionem; posse nempe circulum sanguinis, per foramen ouale, immoto pectore et pulmonibus expediri, ex physiologia constat; neque adultioribus semper haec via, fœtui ceteroquin saltem data, praeclusa est, siquidem in maxime prouesta etiam aetate, rariore licet exemplo, ostium hoc, quo sanguis, praetermissis pulmonibus, ex anteriore auricula ad sinistrum cor tendit, apertum adhuc fuisse deprehensum, per inspectiones anatomicas constituit. \*) In tanta adeoque ambiguitate, satius erit, nondum de funere cogitare, sed, potissimum, cum sani antehac, repentina apoplectico, hysterico, similine insultu extinti creduntur, aut, cum laqueo suspensi aut submersi reperiuntur,

tuv,

\*) Ita recte sentit B. HEBENSTREITVS in *Anthropologia forensi*, Sect. I. Cap. V. §. 5. itidemque Magnif. LUDWIGIVS, in *Institutionibus medicinae forensis*, Part. I. Cap. V. §. 97.

\*) Notatu dignam habet hac de re obseruationem, foraminis oualis in anu decrepita reperti, BERNARD. SIGFR. ALBINVS, in *Academicis annotationibus*, Leidae 1754, editis, Libr. I. cap. 9.

ur, in spiritu reuocando et fuscitando operam ponere, atque frequentiora potius, etiamsi quandoque frustranea, instituere tentamina, quibus vnu alterue saluari possit, quam omnes deserere; id quod, si recte sentio, tanto magis ad curam mortuorum, vel pro mortuis tamen habitorum pertinet, atque maximam promeretur laudem, quanto est iniustius, in iis potissimum, qui violenta periisse deprehenduntur morte, de iurisdictionis immunitate diu litigare, aut in honestioris facti maculam illis adspergere, qui istiusmodi corpora contigerint, quod, an humanitati conueniat, me prudentiores iudicent; iudicauerunt autem iamtum ii, qui omni opprobrio et diffamatione illos carere voluerunt, qui corpora talia ex aquis sustulerint, aut laqueo liberauerint. Illos vero etiam, qui naturali, atque ex morbo praegresso periisse putantur morte, neque statim a medico deserendos, aut illico ex lectulis eximendos, denudandos, repurgandos, aerique frigidiori exponendos, neque, cum adhuc intra conclauia detinentur, fenestras foresque protinus apriendas esse, per quas, ex anili superstitione, anima liberiore via in auras abeat, vix monere opus est, cum haec omnia a medicis non ignorentur. Enimuero, ipsos etiam vere mortuos, plus uno modo, non minore cum cautione esse curandos, variae imperant rationes. Nescio, an semper consultum sit, omnium conspectui quaelibet exponere funera, atque pompa potius ergo, vtque confluentis ad domum feralem turbae, indomitae saepissime cupidini fiat satis, per aliquot dies aperta relinquere cadauera, et custodibus suis, et vniuersae etiam domui, vicinisque, tetricis suis exhalationibus, potissimum, cum malignis perierint morbis, molestissima futura? Ridiculum propositum est, cum pacatam cuiuis defuncto apprecari soleamus quietem, tumultuoso confluentis plebeculae strepitu aduocato, contrarii potius sensus publica dare documenta, atque fragilita-

tis humanae succulentissima in cadaueribus exempla, humilitatis quemlibet monitura, fastuosae profusionis inconcinnis plane exornare signis. Sed haec ad medicum non pertinent forum. Haec vero potius maiore curanda sunt circumspectione, quae sanitatem publicam hac quoque de parte concernunt. Non perinde igitur erit, quo modo, et quibus locis demortuorum corpora sepeliantur, vespillonum arbitrio haud quamquam contenda, quin potius, ut ne in tumulis suis, aliis officiant, prouidendum erit. Ipsa, ad quam omnia corpora animalia citissime tendunt, putredo, huius monere videtur necessitatis. Quicquid enim putridorum effluuiorum ex corporibus quibuscumque exhalat, non adeo cito per auras dissipatur, aut supra nostri aeris atmosphaerici terminos eleuatur, vt non potius fluido aereo admixtum, volubilitate pariter ac copia sua, viuorum corpora perpetuum contingat, indeque per cutis aut oris spiracula recipiatur, humoribusque inquinandis resolviendisque aptum reddatur. Ex remotissimis autem prouinciis, pestifera effluvia aeris ope adduci, cum nemo ignoret, quidni, quae propiora et quotidiana sunt, perniciosa credantur? Etiamsi enim, *absoluti* cuiusdam atque *uniuersalis* contagii haud facile existat malignitas, cum tamen corporum nonnullorum, ad illud facilius recipiendum, quaedam fuerit dispositio, his omnino exitiosum fieri, nulla dubitare conueniet ratione; potissimum, cum aeris calidioris et humidioris temperies, miasmatum horum evolutioni atque communicationi nimium faueat. Optimo ergo instituto, antiquissimis iamtum temporibus, hisce obuiam fuit itum in commodis. Variis autem modis, pro vario cuiusuis gentis genio, corpora aut a corruptione defensa deprehenduntur, aut, si terrae mandanda essent, vt ne putredinosa effluvia ad viuos diffunderentur, cautum fuit. Quae de Romanorum more, cadauera comburendi, passim in historicorum leguntur monu-

mentis, lubens hic mitto, utpote cum hanc prodigalitatem nec imitari deceat, nec opus sit. Scythaes, agrestibus licet moribus et crudelitate horridi, maximopere tamen curauerunt, ut ne ex cadaverum corruptione, viui detrimentum caperent, utque diutius funera ista aetatem ferrent, indeque corpora, alio expurgata, siue, *vii iustini* loquitur, *exenterata*, \*) filere, thymiamate, apii et anisi seminibus replebant, atque hac conditura a corruptione defendebant; in qua arte, cadavera condiendi, Egyptios longe adhuc fuisse peritiores, Muimiae docent, qualem, post complura secula integerrimam conferuatum, inter rariova Amplissimi Senatus Lipsici cimelia cernere licet; vulgatiorem vero, nitro, myrrha et casia, corpora condiendi, ipsis fuisse morem, veterum profanorum scriptorum, ipsiusque facri codicis testimoniiis constat. \*\*) Humationem tamen corporum, et combustione et conditura longe fuisse antiquorem et frequentiorem, multis haud opus est comprobare argumentis, utpote qui mos apud complures obtinuit gentes, ipsisque etiam Graecis atque Romanis peculiaria fuisse, quibus demortui sepelirentur loca, vix quemquam ex eruditis latere existimat. Ita tamen haec feligebantur loca, ut procul ab humano consortio remoti essent, qui propter inamoenos odores ciuibus suis

B 2

suis

\*) Libr. I. Cap. 5.

\*\*) De horum, et Scytharum conditura exponit HERODOTVS  
Liber. II. et IV. Patriarchae Israelis corpus, a medicis Egyptiis, ius-  
su Iosephi conditum legitur *Genes.* Cap. I. v. 2. 3. Quem mo-  
rem, post duodecim propemodum secula, inter Iudeos adhuc  
obtinuisse, utpote qui multa ab Egyptiis acceperant, ipsius san-  
ctissimi Salvatoris constat funere, cuius conditaram, pia magis,  
quam fiduciae in Messiam, a corruptione immunem futurum,  
plena mente, Iosephus, Nicodemus, et mulieres adornabant.

## XII

suis noxii, vel certe molesti esse poterant; quapropter PLATONIS instituto, in agris infoecundis sepulcra constituta fuerunt, ne viuentibus officerent, quo simili laudando consilio, peculiari XII. tabularum lege decretum fuit, ne quis intra urbem sepeliretur. \*) Peculiares proinde Romanorum sepulcris assignatae fuerunt viae, non ea solum de causa, ut remotiora ab urbe essent cadauera, sed ut etiam viatores, erectos in defunctorum memoriam cippos et marmora, quibus nomina et honores mortuorum inscriebantur, legerent, inter quas vias, Appia, Aurelia, Flaminia, Lauicana, Ostiensis, aliaeque fuerunt. \*\*) Moris huius postmodum imitator fuit IVLIVS Pontifex romanus, sub CONSTANTINO Imperatore clarus, qui tria coemeteria, in via Flaminia, Aurelia, et Portuensi restaurauit. \*\*\*) Quibus omnino praeclaris exemplis constare poterat, quanta cum cura iis, quibus ciuitatum salubritas cordi est, prouidendum sit, ut opportuno coemeteria adornentur loco, non eo solum tempore, quo epidemica forte lue saeuiente, reipublicae periculum ex contagione imminet, sed ut semper remotiores a viuentibus sint, quorum terestrimus foetor, nunquam sine molestia, aut magna etiam noxa, ab adhabitantibus hauriri poterat. Non improbandum prorsus est eorum consilium, qui cadauera, contagiosa in primis lue extinctorum atque sine capulis sepeliendorum, *viva calce* obtegenda suadent, qua putredo acclere-

tur.

\*) ALEXANDER ab ALEXANDRO, Libr. VI. cap. 14. et Libr. III.  
cap. 2.

\*\*) Confer. IO. KIRCHMANNVS *de funeribus Romanorum*,  
Libr. XI. cap. 22.

\*\*\*) VOLATERRAN. *Anthrop.* Libr. XXII.

tur. Calcis enim viuae, (recentior tamen sit oportet, vetustior nempe, fatua est atque iners) ea est indeoles, ut acido suo pingui, pinguibus quoque animalium corporum oleis facile vniatur, indeque putredinem omnino quidem *promoueat*, siue motum quendam intestinum intra humores et gluten animalium excitet, quo mixtio eorum soluatur atque attenuetur, neutiquam tamen putredinem, vti vulgo creditur *acceleret*, id quod per lixiuum quidem, aut aquam calcis viuae, longe facilius obtineri posset; sed, cum terreae calcis particulae, admodum copiosae, humiditatem cadauerum imbibendo, putredinem ipsorum retardent, etiamsi non prorsus impedian, non quidem huius consilii nullum plane esse usum, suspicari conueniet, modo quod *celerior* putredo hac ratione haud quaquam impetratur. \*) Quid, quod exinde, dum calx putredinem protrahit, etiam ulro intelligi possit, ipsam, quoniam substantias oleosas attenuare pergit, et ad volatilitatem disponit, exhalationum putridarum diffusioni nullam non solum ponere remoram, quin potius easdem augere atque eleuare, id quod vel solis cerdonum patet opificiis, ad quorum cryptas si accedamus, in quibus tergora animalium, ope calcis macerantur, putrida effluvia e longinquio iam tum, manifeste nimium percipiuntur. Potissimum autem *profunda* humatio, illis serio est iniungenda, quorum est, funera terrae mandare, qua in re, ut suo semper faciant satis officio, frequentior sepulcrorum, et sepeliendi modi, nunquam praetermittenda est lustratio. Sepulcra videlicet, quorum definita esse debet profunditas, ad-

\*) Calce teclum corpus Imperatoris MAXIMILIANI I. post tria propemodum secula, nondum penitus consumptum, quin et vestimenta integerrima in tumulo Vindobonenfi suisse hoc ipso anno reperta, ex relationibus publicis constituit.

eo saepe negligenter instruuntur, ut, nisi sollicite in illa inquiratur, effluuiorum putidorum haud mirari conueniat mephitum, circumhabitantium sensus atque sanitatem moleste admodum afficientem, in primis, cum, qui morbis putridis perierunt, superficiali incuria humanantur, aut aliis paulo ante sepultis funeribus superponuntur. Non enim semper iuratae vespillonum fidei credere, tutum est, ut pote quorum negligentia, cuius semper culpa in superiores cadit, omnem iuris-iurandi religionem susque deque habet, suisque arbitrariis auctoribus, magistratum autoritati illudit, maximeque illicita sibi in funera imperia arrogat, cultiorum ciuitatum nonsolum famae, verum etiam incolarum sanitati, pessime nocitura. Harum noxarum causas disquirere, siue iusta conquerendi fuerit ratio, de iisdem serio et protinus emendandis monere, a medicorum nonsolum officio haud abesse, quin potius inter eadem laude dignissima ponendum esse facta arbitror, qualia olim, ob ciues seruatos, publicis praemiis afficiebantur. A coemeteriis, de quorum etiam forniciibus nimium patulis nonnulla commemorari possent, ad tempa nunc essent transeundum, in quibus honorificentius dormire creduntur eorum corpora, qui vel aliquo publico celebres fuerunt munere, vel quibus hereditario quodam, similiue iure, in sacris aedibus cubandi competit potestas. Hoc vero de argumento, tanto minus quidquam copiosius iam exponere opus est, cum et hac in re, ab aliis peritissimis viris, mihi iamtum factum fuerit otium, \*) et huic praeterea scriptiunculae metam poni oporteat.

Ad

\*) Conferatur potissimum GEORG. DANIEL. COSCHWITZII  
Dissert. de noxis, ex sepultura in templis facta oriundis, Halae  
1728. habita.

Ad metam nempe studiorum, hactenus cum laude cultorum consequendam properat, qui publice nunc commendandus est.

VIR CLARISSIMVS ATQVE DOCTISSIMVS

D O M I N V S

CHRISTIANVS FRIDERICVS ERDMANN

B O D E N,

MEDICINAE BACCALAVREVS DIGNISSIMVS,

cuius labores academici, praemiis quoque ab Ordine nostro sunt exornandi, cui probatissima doctrinae suae dedit specimen, quibus, se ex praceptorum suorum institutione, ex voto profecisse, egregie edocuit. Quod, qua ratione efficerit, ex vitae ipsius, quem tenuit cursu, brevibus, ut moris est exponendo, intelligetur.

**N**atus est Schliebeneae, anno huius seculi quadragesimo sexto. Patrem habuit S. R. IOANNEM ANDREAM, Pastorem primarium, Praepositem, atque sacrorum assistitem, cuius praeemataram mortem non sine dolore sensit. Matrem adhuc laetatur superstitem, ERDMVTHAM SOPHIAM, ex clara ZEIBICHIA gente oriundam. Parens optimus, dum viueret, materrime filii sui ingenium ut formaret, ipsum domesticae institutioni Cl. HELBIGII, Cantoris, et b. SIEBEN-

## XVI

MARII commisit, postmodum vero ipsum ad scholam prouincialem, quae Misenae floret, dimisit, in qua humanioribus instrueretur disciplinis. Sedula hic fruitus est informatione Cl. HOERII, Rectoris, WEISSII, nuper defuncti, SCHROEGERI, KLIMMI; praे omnibus vero singularem Praeclar. CLEMANNI, aduersus se celebrat benevolentiam. S. R. praeterea HESSII, Pastoris primarii meritissimi, et THALVIZERI, Diaconi vigilantissimi, in se collata beneficia, gratissimus praedicat. Cum ita per quinquennium Misenae commoratus, tristem de patris dilectissimi funere acciperet nuntium, SERENISSIMO PRINCIPE adnuente, anno LXV. mense Augusto in Vitebergensem migravit Academiam, a Celeb. D. KRAVSIO ICto, coniunctissimo patri amico, in ciuium academicorum societatem receptus. Hic, in philosophicis et mathematicis disciplinis, magistros habuit subtilissimos, ZEIHERVM et HILLERVM. In literis ad humanitatem pertinentibus, FRATRE PROFESSORE vñs fuit, qui plusquam fraterno amore, studiis eius, et consiliis et re adfuit. Ill. TRILLERVs, quem saepius adire licuit, et consiliis et libris, ex splendidissimo suo apparatu, rebus eius vtilis fuit. Excell. LANGGVTHIVM, medicinam forensem solide docentem, audiuit; Excell. BOEHMERO vero, quem non sine pietatis sensu nominat, botanicam, anatomen, physiogiam, et artem differendi in acceptis fert, ipsique, qui more suo, rebus discipuli sui, singulari

hu-

humanitate prouiderit, publicas hic, me interprete, decernit grates. Cum paulo post, Ill. TRILLERVS, obtinendi beneficij Trilleriani spem faceret, anno LXVI. Lipsiam petuit, atque Ill. BELIO, tunc Rectori, nunc etiam academicam Recturam sapientissime administranti, nomen dedit. Cum S. R. ERNESTI, in Ciceronis Orationes commentaretur, et b. GELLERTVS de morum doctrina praecioperet, assiduus scholis his interfuit auditor. In philosophicis, S. R. CRVSIVM, et Praeclar. SEIDLIZIVM, duces habuit; b. WINKLERVM autem, ut physicam, tam theoreticam, quam experimentis illustratam, recte edisceret, adiit. Nunc ad medicinam propius accessurus, BOSIO iam Vitebergae defuncto, in botanica, et Excell. POERNERO, iam Misenae, vasorum porcellanorum conficiendorum artificium, maxima cum laude curante, in materia medica et chemia, praceptoribus usus fuit. Exper. BOERNERO, morborum venereorum cognitionem, et Exper. HASIO, osteologiae scientiam deberet. Ex ore Exper. REICHELII, artem fascias apte applicandi, et formulas medicas componendi edidicit, a quo etiam per examina, super physiologicis argumentis instituta, tentatus fuit. Exper. GEHLERVM, in arte partum iuandi, fidelissimum habuit magistrum; cumque Exper. KRAVSIUS, Boerhaauii institutiones medicas exponeret, atque ossium doctrinam traderet, huic quoque operam

## XVIII

dedit. Excell. BOSIVM, physiologiam et praxin clinicam docentem, non sine fructu sectatus est. Excell. POHLII scholas anatomicas, disputatorias et examinatorias diligenter frequentauit, eiusdemque operationibus chirurgicis assiduus adfuit spectator. Maxime vero laetatur, quod sibi licuerit Magnif. LUDWIGII botanicis, therapeuticis, chirurgicis, clinicas et medicoforensibus interesse praelectionibus, ex quo etiam, cum nouam Dispensatori<sup>i</sup> pharmaceutici proponeret ideam, atque exercitatoria, examinatoria, et elaboratoria institueret tentamina, librorumque medicorum traderet cognitionem, ex votu profecit, ipsique, sapientissimo studiorum suorum moderatori, gratissimam hisce nuncupat mentem. Mea quoque ex institutione, cum historiam medicinae, pathologiam, materiae medicae cognitionem, artemque disputandi docerem, atque examinatoriis et elaboratoriis exercitiis, ingenia discentium formare studebam, si quid profecerit Candidatus noster, ego non minimas inter ponam voluptates. Neque defuerunt Candidato nostro beneficia; quandoquidem se stipendio, quod a procuratione nomen habet, clementissime decernente SERENISSIMO PRINCIPE ELECTORE, exhilaratum fuisse, pia mente veneratur; cui felicitati accessit, quod sibi quoque stipendio Waltheriano frui licuerit; inclusae praeterea Nationi Saxonicae, quod se, ciuem suum, munificentia quoque sua aluerit, gratum testificatur animum. Veluti etiam, quae a sororio suo, HERINGIO,

mer-

mercatore Vitebergensi probō atque industrio, acceperit humanitatis, neque pauca, neque vulgaria documenta, haud reticenda cupit. Accessit ad nos mense Martio anni iam senescentis, atque examen theoreticum cum laude sustinuit, quo finito, Baccalaurei honores tulit; postea vero, mense Septembre, in lectionibus, pro Licentia dictis, *de cura sanitatis, iustis limitibus circumscribenda*, erudite admodum differuit. Ita nunc, doctrina et beneficiis ornatus, in altero comparuit examine, paucis abhinc diebus instituto, cumque ad quaestiones practicas rigorosiores R E C T E respondisset, veniam natus fuit, summorum honorum impetrandorum ergo, cathedram concendendi; ex qua, Praeside Magnifico L V D W I G I O, Ordinis nostri Decano perpetuo, Dissertationem inauguralem, *de obstructionis aluinæ causis*, propugnaturus est.

Horum cum laude peractorum laborum, luculentissimos quoque capiet fructus Candidatus noster, summis honoribus condecorandus, quorum sumendorum Licentiam, ego, ad haec solennia clementissime constitutus Procancellarius, tanto maiore cum voluptate ipsi tribuam, quanto digniorem ipsum illustrioribus hisce titulis noui. Faciam, quod mei est officii, proximo Veneris die, XII. Octobr. quo *de splendida medicorum miseria*, paucissimis exponere constitui. Splendidam tamen huius diei opto festiuitatem, atque eapropter R E C T O R E M

XX

ACADEMIAE MAGNIFICVM, ILLVSTRISSIMOS CO-  
MITES, GRAVISSIMOS VTRIVSQUE REIPUBLICAE  
PROCERES, GENEROSISSLIMOS NOBILISSLIMOSQVE  
VNIVERSITATIS HVIVS LITERARIAE CIVES, obser-  
uantissimis humanissimisque rogatos cupio precibus, vt fre-  
quente sua praesentia solennitati huic interesse, atque quan-  
tum Ordini nostro, mihiue faueant, beneuola sua audience  
comprobare, haud grauentur; quo insigni beneficio nobis  
tributo, nos ad publicas grates referendas excitatos iri, hisce  
spondemus. P. P. Dominica XVII. post Trinit. A. R. G.  
MDCCCLXX.

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIA

